

QUANDONAM HABEATUR APPROBATIO «IN FORMA SPECIFICA»

SUMMARIUM: 1. Clausula «approbatio specifica» legitur in art. 18 Const. «Pastor bonus», de approbatione S.P. actuum Dicasteriorum Curiae. 2. Sensus paragraphi secundae, in qua clausula, consideratur. 3. Explicatur sensus exemplo normae a CDF de iureiurando fidelitatis. 4. Dein consideratur ipsa clausula «specifica approbatio». In doctrina de «confirmatione» potius quam de «approbatione». «In forma specifica», quando iuxta doctrinam? 5. Effectus. E contra, si «in forma communi». 6. Criteria approbationis «in forma specifica». 7. Ambigua est clausula art. 18, paragraphi secundae. Significat concessionem potestatis quam Dicasterium non habet. 8. Obiectio ex textu VAN HOVE. 9. Est *delegatio* potestatis. 10. Quo sensu actus Dicasterii, vi clausulae, dici possit actus R.P.? 11. Aut Dicasterium «vices R.P. gerat»? 12. Non excluditur possibilitas recursus contra actum Dicasterii positum vi clausulae.

1. Constitutionis *Pastor bonus* art. 18, determinat, exercitium potestatis Dicasteriorum Curiae Romanae.

Is constat tribus paragraphis non numeratis. Prima statuit:

Summi Pontificis approbationi subiciendae sunt decisiones maioris momenti, exceptis iis pro quibus Dicasteriorum Moderatoribus speciales facultates tributae sunt exceptisque sententiis Tribunalis Rotae Romanae et Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae intra limites propriae competentiae latitis.

Igitur, praescindendo a sententiis Tribunalium, non iam «*omnes*» decisiones submittendae sunt ap-

probationi S.P., sicut exigebatur a can. 244 § 2 prioris Codicis, in vigore usque ad Const. «*Pastor bonus*», vi art. 12 Const. «*Regimini Ecclesiae Universae*».

Proinde non requiritur approbatio pro decisionibus «ordinariae administrationis» seu non «*maioris momenti*», aut pro illis «*maioris momenti*» quidem, sed pro quibus Moderator obtinuit speciales facultates¹.

Tertia paragraphus legitur:

Hoc autem sollemne sit ut nihil grave et extraordinarium agatur, nisi a Moderatoribus Dicasteriorum Summo Pontifici fuerit antea significatum.

Implicite ergo exigit approbationem decisionum quae importent aliquid «*grave et extraordinarium*» (quamquam intra potestatem ordinariam Dicasterii, aut intra speciales facultates).

Secunda tandem paragraphus, de qua quidem in sequentibus, statuit:

Dicasteria leges aut decreta generalia vim legis habentia ferre non possunt nec iuris universalis vigentis praescriptis derogare, nisi in singulis casibus atque de specifica approbatione Summi Pontificis.

Continet et principium et ipsius exceptionem. Principium est Dicasteria non posse «*leges aut decreta generalia vim legis habentia ferre*», immo nec, suis actibus «*iuris universalis vigentis praescriptis derogare*». Exceptio vero «*nisi de specifica approbatione S.P.*».

¹ Exemplum: Decretum C. pro EE., 3-3-1989, mutans limites inter Milano et Lodi, «vi facultatum specialium» a J. PAULO II concessarum, nullam refert approbationem (AAS 81 [1989] 889-890).

2. Paragraphus haec secunda, dupliciter legi posse videtur.

Primo modo, paragraphum considerando tamquam ulteriorem explicationem paragraphi primae. Id est, postquam paragraphus prima determinat in genere decisiones pro quibus requiritur approbatio, secunda normam generalem specificaret quoad duas decisiones concretas, quae considerandae essent «*maioris momenti*», sive Dicasterii Moderator speciales facultates recepisset sive non, scilicet quoad decreta generalia legislativa, quae imposerent alicui communitati novam obligationem vel quoad actus administrativos qui importaret derogationem alicui praescripto iuris universalis vigentis. Approbatio requisita in casu, dicitur in paragrapho «*specifica*».

Alia possibilis est lectio, et prout mihi videtur, magis clara, cohaerens et retinenda. Paragraphus, non exprimit duas concretas decisiones, inter alias in genere indicatas in paragrapho praecedenti, quae exigunt approbationem S.P., sed, posita illa norma, aliam statuit, ponendo prius principium deinde exceptionem: principium quidem, Dicasteria non habent potestatem leges ferendi seu decreta generalia vim legis habentia (cf. can. 29), neque habent potestatem derogandi praescriptis iuris universalis vigentis propriis actibus administrativis (cf. can. 33 § 1). Sed, ut patet, possunt a S.P. accipere huiusmodi potestatem (cf. cann. 30 et 137 § 2). De qua possibilitate agit exceptio: possunt ferre decretum generale vim legis habens aut possunt actum administrativum, generalem vel singularem, derogantem praescripto iuris universalis vigentis ponere, «*de specifica approbatione S.P.*».

Praeferenda est haec altera lectio, inquam, imprimis quia non apparet ratio cur (prout iuxta primam

lectionem) in secunda paragrapho habenda esset specificatio duorum casuum qui iam in genere comprehenderentur in norma primae paragraphi. Praeterea quia ex eo quod in secunda paragrapho approbatio qualificatur tanquam «*specifica*», iam innui videtur quod agitur de approbatione diversa ab illa de qua in genere in paragrapho prima. Tandem, iuxta secundam lectionem, habetur clarificatio problematis iam dudum disputati, post m.p. Benedicti XV *Cum iuris canonici*, scilicet utrum Dicasteria haberent vel non potestatem legislativam. Negatio huius potestatis, tamquam principium, in paragrapho secunda, cohaeret cum indole *ministeriali, instrumentali, vicaria, diaconali* Curiae Romanae de qua in Prooemio Constitutionis (nn. 7-8)². Exceptionaliter vero haec potestas, vel potestas derogandi iuris universalis vigentis praescriptis, «*in singulis casibus*» communicari potest «*de specifica approbatione S.P.*».

3. Sit exemplum satis recens, illa *nova* norma CDF pro communitate ecclesiali universali, proferendi iusiurandum fidelitatis ab assumptibus certis muneribus³. Norma inquam *nova* quatenus *extendebat* obligationem iurisiurandi ab episcopis proferendi (can. 380), formula quidem diversa, ad plures alias personas de quibus in can. 833. Agebatur igitur de

² P.A. BONNET, *La natura del potere nella Curia romana*, in P.A. BONNET e C. GULLO (a cura di), *La Curia romana nella Cost. Ap. «Pastor Bonus»*, Libreria editrice Vaticana, Città del Vaticano 1990, p. 106 tenet, iuxta art. 18, paragrapho secunda, Dicasteria non gaudere potestate legifera.

³ Publici iuris facta in AAS 80 (1989) 104-106 (mense septembris) at, de facto, ratione dilationum fasciculorum AAS, prius in *L'Osservatore Romano*, 25-2-1989, p. 6.

decreto generali vim legis habente. Iam vero ex publicatione in AAS non constabat CDF accepisse a S.P. illam «approbationem specificam», de qua art. 18 in paragrapho secunda, pro hoc casu particulari, necessariam iam vi can. 30. Talem autem approbationem de facto acceperat, die 1-7-1988, prout testificatum est *Rescriptum ex audientia*, a Card. RATZINGER subsignatum die 19-9-1989 (AAS 81 [1989] 1169).

4. Veniamus iam ad punctum centrale: quid sibi vult expressio «*specifica approbatio*» hac in paragrapho secunda art. 18?

Doctrina canonica uti solebat termino *confirmatione*, potius quam *approbatione*. Et quidem, ut subli-nearet quaestionem esse de iure aliquo habito ratione alicuius actus iuridici *iam positi*, sive ageretur de sententia iudiciali, sive de privilegio, sive de lege vel statuto, etc. Vel etiam, terminum *confirmationem* praeferabant, quia *approbatio* significaret potius consensum ex parte privatorum, dum *confirmatio* indicaret corroborationem iuris (actus ius producentis) ab auctoritate competenti, secundum definitionem iam ab HOSTIENSI datam «*iuris prius habiti corroboratio*»⁴.

Doctrina distinguebat confirmationem *in forma specifica*, a confirmatione dicta *in forma communi*. Illam «confirmationem in forma specifica», frequenter denominabat, prout iam in glossis ad Decretales GREGORII IX, confirmationem *ex certa scientia*, aut etiam *in forma speciali*. Qui modus loquendi etiam temporibus recentioribus adhuc invenitur.

Habetur ergo «*approbatio in forma specifica*»,

⁴ *Summa aurea* l. II, tit. *De confirmatione utili vel inutuli*, n. 1. cf. REIFFENSTUEL, *Ius Canonicum Universum*, T. II, L. II Decret., tit. XXX, n. 3. WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, I. Normae Generales, Ed. 2^a, P.U.G., Romae 1952, n. 166.

iuxta doctrinam, quando auctoritas competens, actum confirmat, post serium illius examen, eo quod per illam approbationem auctoritas assumere intendit responsabilitatem illius actus, eo sensu scilicet, quod illum subtrahit a competentia eius qui actum posuit, et sub propria ponit potestate. Hac proinde approbatione «in forma specifica» data, actus iam habetur iuridice ac si ab auctoritate superiori fuisset emanatus (in expressione doctoris NAVARRO), aut (ut habet auctor nostri contemporaneus) (*actus «mutat manus»*), seu non amplius habetur ut iuridice proprius eius qui actum posuit, sed eius qui actum confirmavit, qua confirmatione actum sua auctoritate protegit. Actus ponitur sub confirmantis iurisdictione et substrahitur a iurisdictione eius qui eum posuit⁵.

5. Talis est vis expressionum quae constanter repetuntur ab auctoribus: per approbationem Papalem «in forma specifica» actus *natura mutatur; transformatur in actum Papae; Papa fit iuridice responsabilis actus*.

Ideo, adhuc, additur ab auctoribus, faciendo suum actum S.P. intentionem habet sanandi omnes defectus iuridicos *saniabiles*, etiam eos qui actum invalidum fecissent.

Approbatio vero «in forma communi» actum inferioris non mutat, sed actus manet sub responsabi-

⁵ Verba NAVARRO refert L. DE LUCA, *Confirmatio Apostolica Accidentalitatis*, in *Studi economico-giuridici* 31 [1947-1948] n. 23, pp. 130-134). Expressio «mutare manus» (*change hands*) dicitur a D. KAY, *Exemptio et Ius Societatis Iesu*. The Essential Elements of Exemption. Thesis ad lauream apud Universitatem Gregorianam, 1989 (pro manuscripto, p. 280); publici iuris factum est excerptum, P.U.G., Romae 1990 quod non continet locum allegatum.

litate eius qui actum posuit. Auctores quandoque vel maxime id efferunt dicendo approbationem «in forma communi» nihil revera actui conferre; verumtamen, explicant eam non esse prorsus inutilem, siquidem certe tribuit quandam auctoritatem extrinsecam actui, ex eo quod, posita approbatione pateat non sine notitia superioris auctoritatis positum fuisse. Sequitur ergo quaedam praesumptio legitimitatis actus, vel, iuxta SUAREZ praesumi potest concedentem maiorem adhibuisse diligentiam, siquidem actum approbationi submisit, et etiam habetur praesumptio quod qui actum approbavit non faciliter illum revocabit⁶.

6. Ut ergo loqui possimus de «approbatione in forma specifica», requiritur imprimis ut agatur de «approbatione», quae, ut dixi, praesupponit actum iam existentem, non enim confirmatur quod erit, sed quod est. A fortiori si quaestio est de «approbatione in forma specifica», etenim, ut iam dixi, haec praesupponit actus positi serium examen ut possit assumi a S.P. sub sua responsabilitate et fieri suus.

Ideo canonistae considerabant ut criteria huiusmodi approbationis «in forma specifica» illas expressiones quae talem plenum examen et intentionem personalis assumptionis actus indicabant, aut, ut SUAREZ habet, intentionem non standi limitationibus iuris communis, ut sunt expressiones «*motu proprio*», «*ex certa scientia*», «*ex plenitudine apostolicae potestatis*», «*non obstantibus quacumque lege aut consuetudine contrariis*», «*supplentes omnes iuris et facti defectus...*»⁷.

⁶ *De leg.*, VIII.18.9.

⁷ Cf. SUAREZ, *De leg.*, VIII.18.6. WERNZ-VIDAL (cf. nt. 4), n. 167-II. Iuxta E. EGAN, *The Introduction of a New «Chapter of*

E contra, clausulas, quae primo aspectu etiam indicarent plenam approbationem, putabant auctores indicare tantum approbationem «in forma communi» siquidem non exprimerent voluntatem plenae assumptionis actus sub propria responsabilitate nec plenum actus examen, ut «*facto verbo cum Sanctissimo*», «*Sanctissimus resolutionem Em. orum PP. approbavit et confirmavit*»⁸.

Clarius adhuc criterium habetur (aliqui putaverunt unicum certum), cum tenor ipse alicuius actus assumitur in documento Papali «*ad maiorem rei evidentiam*» ut scripsit HONORIUS III⁹.

7. Redeuntes ad expressionem «*de specifica approbatione*» art. 18, termini tam «approbatio» quam praesertim «specifica» ambigui, ad minimum, dicendi.

Imprimis, non agitur de approbatione in sensu confirmationis actus iam emanati a Dicasterio. Sed agitur, ut planum est, de actu emanando in futuro, scilicet sive de decreto generali legislativo, sive de actu administrativo qui importet derogationem alicui

Nullity» in *Matrimonial Courts of Appeal*. Officium Libri Catholici, Romae 1967, 29 notabilis est unanimitas auctorum in criteriis indicandis.

⁸ Cf. N. DEL RE, *La curia Romana*, 2ª ed., Roma 1952, 35-36. In decretali INN. III (X.II.30.7) legebatur formula «*sicut provide datum fuerat et ab utraque parte receptum...*». Cf. WERNZ-VIDAL (nt. 4), n. 167-II.

⁹ X.II.30.8. In *Summario* ante decretalem approbatio qualificatur «*ex certa scientia*». VAN HOVE, *De privilegiis*, H. Dessain, Mechliniae-Romae 1939, n. 57-58 de illis qui habuerunt hoc criterium unice certum.

Haec forma pluries usitata est in approbandis institutis religiosis; exempla apud L. DE LUCA (nt. 9) p. 33, nt. 51.

praescripto iuris universalis vigentis. Agitur scilicet de approbatione quae et quatenus continetur in facto *concessionis* potestatis quam Dicasterium non habet, et a S.P. postulat. Concedendo facultatem petitam S.P. «approbat» quod Dicasterium possit actum, de quo agatur, ponere, et *hoc sensu* et ipsum actum approbat. Actum scilicet ponendum, non vero actum iam positum.

Deinde, «approbatio specifica» minime significat approbationem «*in forma specifica*» prout supra explicatam iuxta doctrinam. Sed significat S.P., concedendo petitam potestatem ut Dicasterium ponat hunc actum in concreto de quo agatur, approbare ut talem *specifice* actum in concreta sua determinatione Dicasterium ponat. Sane, S.P. non concedit in genere Dicasteriis potestatem legislativam aut derogandi praescriptis iuris universalis vigentibus, sed tantum «*in singulis casibus*», cum facultatem concedit actum *specificum* ponendi.

Ut hanc potestatem S.P. Dicasterio concedat, non requiritur ex parte pontificis plena ipsius actus *ponendi* cognitio in omnibus suis particularitatibus, sed sufficit ut S.P. informetur de indole actus quatenus legislativi aut derogativi praescripti alicuius iuris universalis vigentis., ita ut S.P. conscius sit Dicasterium petere potestatem quam non habet.

Multo minus approbatio haec significat pontificis intensionem assumendi positionem actus. Immo, ex ipso textu paragraphi secundae, art. 18, planum est quaestionem esse de actu ab ipso Dicasterio ponendo, et sub Dicasterii responsabilitate, semel ac Dicasterium obtineat petitam potestatem¹⁰.

¹⁰ Non placet explicatio quod in casu de quo art. 18b mutetur titularitas actus ita ut fiat actus pontificius aut saltem actus mixtus

8. Huic tamen explicationi opponi posset assertio VAN HOVE qua contrarium affirmari videtur, scilicet, postquam de confirmatione «in forma specifica» loquitur, addit: «*Huic confirmationi subsequenti aequiparatur concessio antecedens debitae potestatis ferendi legem quae sine ea ferri non posset*»¹¹.

Aequiparatio, de qua VAN HOVE, considerari ab ipso videtur ratione indolis actus positi vel ponendi, quatenus in utroque casu habebitur lex, sive decretum ab inferiore positum S.P. confirmet in forma specifica, quae confirmatio, ut dicit, «*mutat decretum inferioris in legem superioris*», sive S.P. concedat potestatem ut inferior legem ferat. Sed VAN HOVE non videtur prae oculis habere quaestionem de auctore ipso legis in quaestione, cui lex tribuenda est, etenim in casu approbationis «in forma specifica» qua statutum inferioris fit lex superioris, clare et ab ipso dicitur quod natura actus mutatur, ut superior assumat responsabilitatem eius. In casu autem concessionis potestatis ut inferior legem ferat, cuiusnam lex habebitur? Superioris potestatem concedentis? an inferioris, vi potestatis delegatae?

Quando is qui potestatem habet tantum executi-

a Papa et a Dicasterio, ut habet A. VIANA, *La potestad de los Dicasterios de la Curia Romana*, in *Ius Canonicum* 30 (1990) 101 [83-114]. Etiam postea loquitur de actu mixto, ac si huiusmodi species inveniretur in doctrina traditionali (p. 111). Neque placet explicatio iuxta quam in art. 18b non agitur de delegatione ad normam can. 30 (*Ib.* 101 et 102). Alia ex parte, sensum non habet huius auctoris assertio (p. 102): «*Se trataría siempre de una delegación que además [emphasis in textu] es aprobada en forma específica por el Romano Pontífice*». Pontifex approbaret in forma specifica propriam delegationem?

¹¹ VAN HOVE, *De legibus ecclesiasticis*, H. Dessain, Mechliniae-Romae 1930, n. 342, p. 350.

vam, decretum generale legislativum, de quo in can. 29, in casu particulari fert quia «*id ipsi a legislatore competenti expresse fuerit concessum*» (can. 30), lex habetur non superioris qui potestatem concessit, sed auctoritatis inferioris quae per se potestatem non habet ferendi leges. Uti patet, sub hoc respectu minime habetur aequiparatio approbationis «in forma specifica» et concessionis potestatis alicui auctoritati infra legislatorem.

Rerocordari iuvat URBANUM VIII decrevisse, atque INNOCENTIUM X (a. 1652) confirmasse, decreta CPF debita forma data, «*vim et valorem habeant Constitutionis Apostolicae*». Nullus auctor, quod sciam, hanc decisionem intellexit in sensu a VAN HOVE proposito, scilicet quod per concessionem potestatis pro actu futuro, aequipararetur confirmatio approbationi «in forma specifica», ita ut actus Congregationis assumeretur sub responsabilitate Papae, sed intellexerunt de delegatione potestatis legislativae¹².

9. Approbatio igitur «specifica» art. 18, non est approbatio «in forma specifica», sed est «*delegatio potestatis*» ut Dicasterium ponere possit actum «specificum» quem in hoc casu singulari Dicasterium emanare intendit quem secus emanare non posset. Actus

¹² Confirmatio ab INNOCENTIO X in *Collectanea de P.F.*, vol. I, Typ. S.C. de P.F., Romae 1907, n. 119, pp. 35-36. Nullibi inveni textum ab URBANO VIII. Pro interpretatione, cf. M. LEGA, *Praelectiones in Textum Iuris Canonici de Iudiciis ecclesiasticis*, II, Typis Vaticanis, Romae 1898, n. 142, p. 366. Etiam R.H. SONG, *The Sacred Congregation for the Propagation of the Faith*, C.U.A. (n. 420), Washington, D.C. 1961, p. 25, nt. 55, qui et alios AA. refert.

natura non mutatur ut fiat actus pontificis sed manet actus Dicasterii.

Profecto, concedendo sic dictam «approbationem specificam», pontifex non committit Dicasterio merum ministerium executionis actus iam a pontifice positi; neque ullam imponit obligationem actum emanandi (cf. can. 70). Sed Dicasterio tribuit potestatem actus ponendi, sub responsabilitate et discrecionalitate ipsius Dicasterii. Aliis verbis, non constituit Dicasterium exsecutorem necessarium actus pontificis, sed Dicasterium manet exsecutor voluntarius.

Certe, Dicasterium, si procedit ad actum ponendum, id ponet vi potestatis acceptae, et quidem aget valide dumtaxat intra limites concessionis (cf. can. 133 § 1), sed si agit, neque agere tenebitur necessario eodem modo ac in concessione expressum fuit (can. 133 § 2).

10. In delegatione quodammodo verificatur Regula Iuris 72 in VI: «*Qui facit per alium est perinde ac si faciat per se ipsum*», eo quidem sensu quod delegans causa est ut id quod ipse facere poterat ab alio fiat, suo loco, atque adeo nisi delegasset, ab alio nihil fieri potuisset, ut iam explicuit REIFFENSTUEL. Sed nullo modo verificatur eo sensu quod actus positus a delegato, «*eidem [i.e. deleganti] merito imputatur, ac si ipse fecisset*» ut eodem loco scripsit etiam idem REIFFENSTUEL¹³.

Delegatus enim non est mere instrumentum delegantis, sed per delegationem, potestas ei communicatur creando novum subiectum autonomum potestatis,

¹³ O.c. (nt. 4) T. VI, *Tractatus de Regulis iuris*, ad Reg. 72, n. 3.

qui agit discretionaliter et sub propria responsabilitate, ita ut actus a delegato positus iuridice non tribui possit deleganti, eo sensu quod delegans debeat de ipso respondere. Delegans tribuit delegato agere posse, sed non eidem imponit ut agat, minus adhuc ut agat nomine delegantis et eius vice. Delegans est quidem causa cur delegatus agere possit, est ergo responsabilis concessionis delegationis, non autem est responsabilis exercitii eius, nisi ultimatim quatenus si sciat delegatum abuti accepta potestate eam posset et deberet revocare.

Quod delegatus constituatur subiectum autonomum novum potestatis acceptae vel maxime patet ex instituto subdelegationis. Delegatus enim, potest, intra limites quidem a iure statutos, sed potest, et quidem independenter a delegante, potestatem acceptam iterum subdelegare seu alio committere (can. 137).

11. Scripsit ALEXANDER III: «*iudex a Nobis delegatus vices Nostras gerit [emphasis a me] unde in causa illa superior est, et maior illis, quorum causam suscepit*». Sensus illius «*vices Nostras gerit*» non est quod, data delegatione, auctoritas ipsa Papalis sit in causa ita ut ipse Papa sit iuridice responsabilis sententiae datae a suo delegato, sed quod is agat auctoritate a Papa recepta unde «*superior est, et maior illis...*». Explicuit PIRHING: «*... alterius vice et auctoritate jurisdictionem exercet. Ita tamen, ut distinctam jurisdictionem habeat, ac derivatam a jurisdictione delegantis seu committentis*»¹⁴.

«*In delegatione*» — scripsit quidam canonista

¹⁴ X.I.29.11. Cf. PIRHING, *Ius canonicum*, L.I., tit. 29, sect. I, § 1, n. 1.

hispanus ante plus quadraginta annos — «*plene deest relatio externa imputationis ad personam delegantis, manifestationis voluntatis delegati. Actus positus a delegato tribuitur ipsi...*»¹⁵.

Ut patet, nemo unquam dicet Ordinarium loci qui facultatem audiendi confessiones tribuit, responsabilem esse exercitii huius facultatis, nisi eo sensu quod, nisi delegasset, delegatus agere non potuisset, non autem eo sensu quod ipse respondere debeat de singulis actibus exercitii absolutionum sacramentalium aut absolutionum denegationum.

12. Ex hucusque dictis sequitur, inter alia, consequentia magni momenti practici sub aspectu possibilitatis recursus contra actum Dicasterii positi vi «specificae approbationis» S.P. de qua in art. 18.

Siquidem per illam delegationem potestatis, quae continetur sub expressione «*de specifica approbatione S.P.*», pontifex non concedit «approbationem in forma specifica», nulla datur difficultas in proponendo recursu contra actum Dicasterii. Non quidem ex eo quod Dicasterium egerit sine potestate, ut patet, quia, quam non habebat, accepit vi illius «*specifica approbatione*».

Neque, igitur, proponeretur recursus, contra actum Papalem, qui continetur totus in concessione potestatis, de qua concessione, sive quoad valorem sive quoad legitimitatem vel opportunitatem, nemo infra pontificem iudicare potest.

Rekursus autem proponi potest contra exercitium

¹⁵ A. BERNARDEZ CANTON, *La delegación de la potestad eclesiástica*, en *La potestad de la Iglesia* (Análisis de su aspecto jurídico. Trabajos de la VII semana de Derecho canónico. J. Flors, Barcelona etc. 1960, p. 217; 219 [205-245]).

acceptae potestatis ex parte Dicasterii in usu propriae discretionalitatis (can. 1732). Hocce exercitium etenim fieri tantum debet secundum praescripta iuris, quia in concessione potestatis delegatae non continetur facultas agendi contra iuris praescripta (cann. 30; 135 § 2), nisi, ut patet, in casu singulari, potestas petita fuerit praecise ad actum ponendum qui derogaret praescriptis iuris universalis vigentis, iuxta tenorem ipsum art. 18 paragraphi secundae.

In exercenda potestate accepta, praeterea, Dicasterium non tantum agere debet intra limites potestatis concessae (can. 133 § 1), sed revereri adhuc debet, ut per se patet, exigentias canonicae aequitatis, et in specie quaecumque exiguntur a iure divino sive positivo sive naturali. Iam scripsit TORQUEBIAU — et quidem agendo de ipsa approbatione «in forma specifica» — «*Non sanarentur vitia quae procederent ex ignorantia exigentiarum iuris naturalis aut iuris divini positivi, immo, nisi de expressa mentione, neque vitia super quae S.P. dispensare non solet, aut quorum sanatio fieri non posset nisi cum praeiudicio tertii*»¹⁶. Posset ergo, qui se gravatum consideraret ex exercitio potestatis ex parte Dicasterii, recursum instituere contra Dicasterium, non ratione defectus potestatis, ut iam dixi, sed ratione eius, prout contenderetur, illegitimi usus (cann. 1400 § 2).

FRANCISCO JAVIER URRUTIA, S.J.

¹⁶ Curie romaine, in *Dictionnaire de Droit canonique*, IV, 1003.